Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De sancta Iuliana

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

vbi iniuriam faciat conqueritur et statim miserabi-
liter moritur. Cum autem quadam vice manus
sibi lavaret, quidam episcopus aquam illam servari
fecit, de qua quidam cecus postmodum curatus
fuit. Cum in quodam loco de voluntate
regis monasterium construere vellet, quidam
episcopus prime civitatis molestie hoc feren-
s misit famulos suos ut aut ipsum
eicerent aut occiderent. Qui venientes
dolose dixerunt ut secum pergeret et sibi
aptum locum ad monasterium ostenderent.
Ille autem maliciam eorum per spiritum cognoscens
usque ad cacumen montis ubi eum occidere
cupiebant cum eis ivit, eo quod nimium martirium
affectaret. Sed ecce tanta pluvia et
tempestas illos montes texit ut se mutuo
videre non possent et se mori iam putantes pro-
strati veniam postulabant et ut eos vi-
vos abire permitteret exorabant. Qui oratio-
nem effudit et serenitatem maximam impe-
travit. Illi igitur ad propria redierunt et sanctus Aman-
dus evadens et multa alia miracula
faciens in pace quievit. Circa annum do-
mini dc. xx. tempore Heraclii.

De sancto Valentino

Valentinus quasi valorem tenens, id est
in sanctitate perseverans. Vel dicitur Vale-
ntinus quasi valens tyro, id est miles Christi.
Miles dicitur valens qui nunquam cedit, forti-
ter ferit, se valenter defendit, poten-
ter vincit. Sic Valentinus non cessit marti-
rium vitando, percussit ydolatriam eva-
cuando, defendit fidem confirmando et vi-
cit patiendo.

De sancto [illegible]

Valentinus venerandus presbyter fuit, quem Clau-
dius imperator ad se adduci faciens
interrogavit dicens: Quid est Valentine?
Cur amicitia nostra non frueris, ut deos
nostros adorans superstitionum tuarum [illegible]
vanitatis? Cui Valentinus: Si gratiam dei
scires nunquam ista diceres, sed ab ydolis animum
revocans deum qui est in celis adorares.
Tunc quidam qui Claudio astabat dixit:
Quid vis dicere Valentine de sanctitate deo-
rum nostrorum? Cui Valentinus: Ego de eis nil
dico nisi quod fuerunt homines miseri et omni in-
mundicia pleni. Ad quem Claudius: Si Christus
verus deus est, cur non dicis quod verum est? Cui Va-
lentinus: Vere Christus solus deus est, in quem si credideris
anima tua salvabitur, res publica augebi-
tur, inimicorum tuorum victoria tibi concedetur.
Audiens Claudius astantibus dixit: Viri
romani, audite quam sapienter et recte
loquitur homo iste. Quomodo deserimus quod ab infancia
nostra tenuimus? Et tunc cor Claudii immuta-
tum est. Traditur autem cuidam principi custodi-
endus. Cum in domum suam ductus fuisset ait: Domine
Jhesu Christe, qui es verum lumen, illumina do-
mum istam ut te deum verum cognoscant.
Cui prefectus: Miror te dicentem quod Christus est
lumen. Equidem si filiam meam cecam illumina-
verit, faciam quicquid precepisti. Tunc Vale-
ntinus orans ei filiam cecam illuminavit et omnes
de domo sua convertit. Tunc imperator
Valentinum decollari precepit circa an-
num domini cc.lxxx.

De sancta Juliana de nomine.

Juliana dum Eulogio prefecto Nycho-
medie desponsata esset et nollet sibi
aliquatenus copulari nisi reciperet fidem Christi,
iussit eam pater suus expoliari et gravis-
sime cedi ac ipso prefecto tradi. Cui pre-
fectus ait: Dulcissima mea Juliana, cur
me ita delusisti ut me sic renuis?
Cui illa: Si tu adoraveris deum meum ac-
quiescam, alioquin nunquam dominus meus eris.
Cui prefectus: Domina mea hoc facere non possum,
quia imperator amputari faceret caput meum. Cui
Juliana: Si ita times imperatorem mor-
talem, quomodo vis ut ego non timeam im-
mortalem? Fac quicquid vis quia me de-
cipere non valebis. Tunc prefectus iussit eam

ꝯtinue uirgis cedi et dimidia die
per capillos appendi. et plumbum liq-
factum in capite eius fundi. Cum autem ei nich(il)
nocuisset ipsam cathenis ligauit et
carceri inclusit. Ad quam uenit dya-
bolus in specie angeli dicens. Juliana ego sum
angelus domini qui me ad te misit. ut te de-
beam commonere quatenus diis sacrifices. ne
tam diu crucieris. et tam male mori-
aris. Tunc iuliana orauit dicens. Domine
deus ne permittas me perire. sed ostende
michi quis est iste qui michi talia persuadet. Fac-
tum est ad eam uox ut eum apprehenderet.
et quis esset ipsum confiteri cogeret. Que cum
eum tenuisset et quis esset eum interrogasset.
dixit ei quod demon esset. et quod ad eam deci-
piendam pater suus misisset. Cui Julia-
na. Quis est pater tuus. Respondit. Belzebub.
qui ad omnia mala nos dirigit. et mittit.
et facit nos grauiter uerberari quotiens
a christianis fuerimus superati. et ideo scio quod
malo meo huc ueni. quia te superare
non potui. Inter alia autem que confessus
est dixit. Quia maxime a christianis elon-
gabuntur cum misterium dominici corporis agi-
tur et cum predicationes et orationes fiunt.
Tunc Juliana manibus retrorsum
ipsum ligauit. et ad terram deiecit. et cum
cathena qua erat ligata ipsum du-
rissime uerberauit. Ipse autem clamans roga-
uit eam dicens. Domina mea Juliana mi-
serere mei. Tunc iussit prefectus ut iuliana
de carcere educeretur. Et exiens trahebat
post se demonem alligatum. Demon autem
rogabat eam dicens. Domina mea Julia-
na noli me amplius ridiculum facere.
Non enim potero ulterius aliquem preualere.
Christiani dicuntur esse misericordes. et tu
nullam mecum misericordiam habes. Sicque per totum
forum traxit. et postea in quandam latrinam

ipsum proiecit. Cum autem ad prefectum uenisset in
quandam rotam ducta est extensa. quod omnia ossa
eius usque ad medullam confracta sunt et fac-
ta. Angelus autem domini rotam comminuens.
ipsam in momento sanauit. Quod uidentes
qui aderant crediderunt. et statim decol-
lati sunt quingenti uiri. et mulieres. cxxx.
Deinde cum in quandam ollam plumbo liq-
facto plenam missa fuisset. sed plumbum ue-
lut temperatum balneum. maledixit prefectus
diis suis. quod unam puellam punire non
poterant. que tantam iniuriam eis irroga-
bat. Tunc iussit eam decollari. Que dum
ad decollandum duceretur demon quem illa
ceciderat in specie iuuenis apparens clamabat
dicens. Nolite ei parcere quia deos uestros
blasphemauit. et me in hac nocte gra-
uiter uerberauit. Reddite ergo sibi quod meruit.
Cumque iuliana paululum oculos aperu-
isset. ut uideret quis esset qui loqueretur
talia. demon aufugit. et clamauit.
Heu heu me miserum adhuc puto quod
uult me capere et ligare. Cum ergo beata
Juliana decollata fuisset. prefectus na-
uigans in mari cum xxxiiij. uiris tem-
pestate subuersus est. horum autem cor-
pora mare iactauit ad litus. a feris et auibus
sunt comesta. Kathedra sancti petri

Kathedra triplex est. dicitur. s. Rega-
lis. ij. R. xxiij. Dauid sedens
in kathedra etc. Secunda sacerdotalis. i. R.
i. Et hely sacerdote sedente super sel-
lam etc. Tertia magistralis. Mt. xxiij.
Super kathedram moysi etc. Sanctus ergo
petrus sedit in kathedra regali quia
fuit princeps omnium regum. Sacerdotali
quia fuit pastor omnium clericorum. Magi-
strali. quia fuit doctor omnium christianorum.
Kathedra sancti Petri omine
petri ab ecclesia festiue recolitur quia